

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 4080

**Auteur(s)** : Philippe II Auguste, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

**Bénéficiaire(s)** : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1216

**Lieu d'émission** : Pont-de-l'Arche

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Philippe [II], roi de France, notifie un accord conclu entre l'abbé et les moines de Saint-Ouen de Rouen, d'une part, et l'abbé et les moines de Bonport, d'autre part, sur le moulin de Poses et des dîmes du clos de Léry.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1115, p. 301-302.

b. Boussard Jacques, Monicat Jacques, Samaran Charles, *Recueil des actes de Philippe Auguste, roi de France*, t. 3, années du règne XXVIII à XXXVI (1er novembre 1206-31 octobre 1215), Paris, Imprimerie nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France ; 7), 1966, n° 1442, p. 54-56.

## Dissertation critique

« 1216 juillet ? » : datation proposée par BOUSSARD/SAMARAN/MONICAT, *Recueil des actes de Philippe Auguste*, t. 3, p. 54, n. 1

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod, cum quedam contentio verteretur inter abbatem et conventum Sancti Audoeni Rothomagensis, ex una parte, et abbatem et conventum Boniportus, Cisterciensis ordinis, ex alia, super molendino de Posis, et decimis de clauso de Lereio, et quibusdam expensis quas predicti abbas et conventus Sancti Audoeni, occasione hujus contentionis, fecerant, tandem bonorum virorum consilio, de utriusque partis assensu, quievit illa contentio tali modo : videlicet, quod predicti abbas et monachi Boniportus de cetero tenebunt et possidebunt libere et quiete predictum molendinum de Posis cum pertinentiis suis et prefatas decimas apud Lereium, ita quod propter hoc dicti abbas et monachi Boniportus reddent inde prefatis abbati et monachis Sancti Audoeni annuatim sexaginta solidos usualis monete in Rothomago, scilicet triginta infra octabas Sancti Remigii et reliquos triginta solidos infra octabas Nativitatis sancti Johannis Baptiste. Predicti siquidem abbas et monachi Boniportus sponte subdiderunt se nobis, in hac parte, et firmiter concesserunt quod, si ipsi vel eorum successores supradictis abbati et conventui Sancti Audoeni dictos sexaginta solidos statutis terminis non persolverent, nos vel ballivus noster

abbati et monachis Sancti Audoeni dictum molendinum de Posis traderemus, tamdiu tenendum donec redditum sexaginta solidorum integre haberent. Sciendum est preterea quod predicti abbas et monachi Sancti Audoeni quieti erunt et absoluti de omni servicio et reddito, quod pro predictis decimis de clauso de Lereio facere vel reddere solebant. Ut autem prenotata compositio perpetuam obtineat stabilitatem, nos, ad petitionem parcium, presentem cartam sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato confirmamus. Actum apud Pontem Arche anno Dominice Incarnationis M° CC° sexto decimo, regni vero nostri tricesimo septimo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; signum Guidonis buticularii ; signum Bartholomei camerarii, signum Droconis constabularii. Data, vacante cancellaria.